IN OPTATISSIMUM AUGUSTISSIMAE MARGARITAE AUSTRIACAE HISPANIARUM...

Filiberto Belcredi



ILLVSTRISSIMO
AC REVER.MO PETRO
ALDOBRANDINO,
SANCTAE ROM. ECCL.
Cardinali Amplissimo.
ATQVE FERRARIAE LEGATO,

Philibertus Belcredius S. P. D.



ANTA est mea in te obseruantia, Cardinalis Amplissimè, tuis et aucta, & confirmata officijs, vt cum de laudibus Augustissimæ MARGARITÆ Austriacæ, Hispaniarum Reginæ, duas conscripserim orationes: alteram Latinè, alteram verò Italicè, eas tibi statim dicandas esse censuerim: idq; merito quidem. Primum vt grati animi, & summi mei erga te amoris, quem tua peperit humanitas, & beneuolentia, aliquam habeas significationem: (nam gratiam cum minimè possumus referre, neq; paria facere; animi alacritatem, vbi reponendi meriti facultas desit, ostendere haud turpe est) deinde quia nemo nesciat oculatus, te lectissimæ Reginæ nostræ tam obseruantem esse, vt laudes ipsius nemini iucundiores, neque gratiores accidere poßint. etenim summæ obseruantiæ certißimum est argumentum, eius quem colimus, atq; ob-

ſeruamus quaſcunque dignitatis, atq; honoris exoptare acceßiones, & cum contigerint, eas perinde charas habere, atq; in earum partem communicando venerimus. Quòd ſi tibi haſce meas orationes legenti, multa fortaſſe videar dixiſſe: ſcias tamen velim, multo his plura a me fuiſſe prætermiſſa: Nam tantæ Reginæ celſitudini, atq; præſtantiæ quæ par oratio afferri poteſt? Si verò in tuas aliquando, & ſummi Pontificis, Patrui tui, laudes incideris, illud te quoq; monitum cupio, eas non niſi a me quaſi prætereunte, illis fuiſſe intextas. Siquidem alius, et opportunior (vt ſpero) de eximijs veſtris virtutibus, ex conſulto dicendi mihi relinquetur locus: vt quem vos vtriuſq; ſignaturæ Referendariatus dignitate Ferrariæ exornaſtis, eum gratum, ſempiternumq; immortalium veſtrarum laudum cognoſcatis præconem. Ceterum munuſculum a me tibi humillimè miſſum ea accipias humanitate, qua te ſemper mihi humaniſsimum præbuiſti, ipſiuſq; tenuitatē mei erga te amoris, vel potius obſeruantiæ magnitudine metiare. Vale, & feliciſsimo rerum curſu vtere. Ticini

ORATIO.



I quid vnquam nobis accidere potuit, quo magnoperè gaudendum, atq; lætãdum esse videretur, hoc profectò die singulari Dei Opt. Max. beneficio contigisse existimandum est, Ticinenses, qui optatissimo Augustissimæ MARGARITÆ, Hispaniarum Reginæ Principis nostrę aduentu præclarissimus illuxit. Siquidem nouæ veluti cuiusdam clarissimæ lucis fulgore mirum in modum illustrati, præstantissimi numinis tamquam e cęlo delapsi, potentia fulti, atq; benignitate, & bonis omnibus ob iucundissimam ipsius pręsentiam circumfluentes, summum humanæ felicitatis apicem atq; fastigium attigimus: vt & alij nobis hoc inuidere, & eosdem felicissimos atq; beatissimos cum iudicare, tum prædicare iure optimo possint, atq; debeant. Nam quam arbitremur Reginam Ticinum, patriam nostram, ingressam esse? non certè eam, quæ cum multarum Reginarum laudibus quicquam habeat commune; sed quàm Natura parens, vel summus rerum omnium Opifex tam egregiè finxit, tot, ac tantis exornauit muneribus, vt inter illa, quæ nunc sub sensum cadunt, non aliunde melius, aut perfectius, quàm ex ea, veluti peculiari quodam signo notata, summi ipsius Architecti celsitudo, atq; præstantia perspici queat. Cœlum orbium, in quos distinguitur, nobilitate, stellarum pulchritudine, cœlestium virium diuersitate prępotentis Dei dignitatem arguit, atq. excellentiam: hęc suarum virtutum magnitudine eiusdẽ aperit magnitudinem. quod eò

præstantius, eoq; admirabilius censeri debet, quòd tam singulari ratione, nimirum, cum præclarissima diuinarum virtutum in ipsa eluceant exempla, ceteris Principibus longè præstare intelligitur. Nam quòd alij Principes ad similitudinem Deo accedere videntur, quia vt ille res cœlestes, atq; humanas regit & moderatur, ita ipsi ad hominum sedent gubernacula, vitæq;, ac necis in eos habent potestatem; hoc etiam, quod magnum, ac diuinum quiddam existimatur, nostræ Reginæ cum illis est commune. Quid igitur eam laudem ab ijs bonis, quæ extrinsecus assumuntur, vel in animo non sunt posita, in quibus vera, ac propria eius non consistit ratio similitudinis, & a quibus germana ipsius laus haudquaquam ducitur, nisi quatenus huiusmodi bona eximijs animi virtutibus ornet? Ab Austriacæ dico familiæ nobilitate, quamuis tanta sit, mente vt illa concipi potius, quàm verbis exprimi queat: cum ex ea familia longè omnium antiquissima, tamquam ex equo Troiano, vel nouis Athenis, innumerabiles propè prodierint Imperatores, Reges, Archiduces, & Cardinales, rei militaris, religionis, & sapientiæ gloria præstantissimi: & cum ex eadem illa, veluti ex amplissimo quodam seminario, tot effluxerint Augustę, tot aliæ Principes exierint mulieres, animo, & virtute præcellentes, quot ipsi maxima, atq; incredibili cum animorum admiratione vel passim legimus in historijs, vel à maioribus accepimus. Pręterea a Regia dico viri potentia, licet omnium florentissima non alijs, quàm quibus Sol, circumscribatur finibus, Imperio ad extremas vsque terrę partes propagato. Nam mira Reginę pulchritudo, quę apta, ac diuina membrorum constat compositio

poſitione; cum aſpectu iucundo, & venerabili, maieſtatem præſeferente, quò magis ab ea, quæ in ceteris mulieribus eminet, venuſtate differt, eò vberiorem hîc meretur laudationem. illa quid procliue ad amores rationi minimè conſentaneos pręſefert: hęc nihil niſi diuinum, & ſanctum oſtentat. illa mores hominum corrumpit: hęc eoſdem componit ad virtutem. illa animi plerunque poluitur ſordibus, quibus ſępe eſt annexa: hęc mentis indicat integritatem, à qua nunquam ſeiungitur. illa oculorum, atq; oris licentia gaudet: hęc oculos vibranti ſplendore coruſcos, & veluti igniculis ſcintillantes incredibili quadam vultus modeſtia, atq; oris exornat ſuauitate. illa cuilibet pictori, vel etiam vulgariter erudito, ad penicillo effingendum facilis: hæc tantùm pręſtantiſsimorum exemplar exiſtit: vt non Naturę ope illius indita corpori, vel inſita; ſed à Deo potius ſumma arte elaborata, atq; tradita fuiſſe videatur. Ab his, Ticinenſes, quę recenſui, & alijs id genus, dico bonis: quę cum ad ipſius Reginę laudem non niſi ea, quam ſupra commemoraui, ratione pertineant, prudens omittam, vel pluribus non complectar, omnemq; pręcipuam illius laudationem petam à religione, ſapientia, & morum integritate, in quibus animi ipſius enitet pulchritudo; quæ vitali, diuinoq; illi ſimilis eſt fulgori, quo rerum omnium perſtringitur acies. ſunt namq; hæc tam eximia atq; ſingularia bona illius propria, non à maioribus tradita, non à natura tributa; ſed quæ ipſa ſibi labore peperit, ſtudio, atq; induſtria comparauit. Atque, vt à prima primùm exordiamur, quis nõ intelligit MARGARITAM, lectiſſimã Reginam, ex ſapientiſſimis ortam parentibus, optimis educatam nutrici-

bus, religione adeò florere, vt nihil ſupra? Enimuerò ipſa ſic Dei flagrat amore, vt in eo omnem ſuam mentem; atq; cogitationem defixam habeat: ſic illum colit, vt ei, tamquam parenti, omnia referat accepta; vitã, qua nihil homini carius, dulciusq; eſt, & cuncta eius cum præſidia, tum ornamenta. Summum præterea Pontificẽ, qui Chriſti perſonam in terris gerit, ita veneratur, vt à ſanctiſſimis illius iuſſis non diſcedat, ne tranſuerſum quidẽ vnguem; vt eius ſacroſancta decreta, & ſanctiones diligentiſsimè ſeruet, acerrimeq; tueatur omnes; vt ſuam ipſius voluntatem nunquam non ad illius nutum accommodet. Sacerdotes verò, ſiue ſacrorum miniſtros, qui integris ſint moribus, atq; generatim homines inſigni quadã pietate præditos, tanta complectitur beneuolentia, ſua vt illos potentia foueat, dignitatibus ornet, ſummisq; perpetuò non dicam afficiat, ſed cumulet, atq; adeò exaggeret beneficijs. Nam quis ea ſtudioſius Diuorũ templa, atq; frequentius adit? quis Xenodochia, & ſacrarum virginum cætus maiori inuiſit pietate? Quis religioſorum virorum conciones libentius audit? quis ſacris, dum peraguntur, attentiori intereſt animo, & ad pietatem magis compoſito? Quis Deo, ac Diuis immortalibus meritam iuſtioribus honoribus, & mente magis memori gratiam perſoluit? illud certè, Ticinenſes, in animis omnium admirationem gignit, ſtuporem parit ingentem, quòd omnem rationem, quæ ad ipſius Dei cultum pertinet, tam rectè illa nouit, tam perfectè callet, vt cum multos ad illum erudire; ipſa verò à nemine erudiri poſſe videatur. Taceo rationes, quibus ad amplectendam religionem homines vehementer adhortetur, quæ ſummam in ea ineſſe religionem docent: fi-

dei, videlicet, atq; pietati Deum ſemper adeſſe, hisq; homines ad humanę, atq; diuinæ felicitatis euehi faſtigium: religione nos Deo mutuo quaſi obſtringi vinculo atq; obligari, adeò vt nos illi cultum, atq; honorem, ille nobis felicitatem, atq; omnibus in rebus proſperitatem tanquam ex pacto debeat: qua neglecta, ſumma omnia ruere & concidere, nihilq; non mutari ſub cælo, atq; labefactari. Quòd vtinam tota Germania præſtantiſsimis his adducta rationibus, atq; in ipſam nobiliſsimam Adoleſcentulam, ceu in domeſticum quoddam religionis exemplum, intuens, ad veram fidem exarſiſſet. non enim in tot factiones atq; ſectas diſtracta tot exagitaretur malis: non proprio ſe conſperſiſſet cruore, atq; contaminaſſet: pacata forent omnia atq; tranquilla: nec non digna eſſent, quæ læta atq; hilari cōmemorarentur oratione; non mæſta atq; triſti deplorarentur. Iam verò ſi ſapientiam conſideremus, fateantur omnes neceſſe eſt, tantam in Regina exiſtere, quantam in Principe muliere eſſe oportet: cum ſapiens cōmuniter is exiſtimetur, qui pręclara aliqua in re multum excellit: ipſa autem omnibus in rebus ſumma quadam laude pręſtet. Nam ſi phrygionum artem, ſiue acu pingendi rationem, qua noſtrę ætatis Principes mulieres mirificè delectantur, & qua olim Didonem, & Serenā, celeberrimas Reginas, excelluiſſe memorię proditum eſt, ſpectemus; adeo in hac inter ceteras eminet, vt quę ab ipſa acu ſunt elegantiſsimè picta, vel auro intexta, ea tanquam opera quędam non humanitus, ſed diuinitus elaborata ab omnibus ſuſpiciantur. Atq; hinc illam magis laudandam eſſe cenſeo, ꝙ huiuſmodi arte non ad luxum, ſed ad pietatem vtatur: vt ſi fortè mihi contingeret illam

intue-

intueri operantē, Theodelindam, clarissimam Longobardorum Reginā, viderer videre ab inferis redijsse; quæ tanta in Deum pietate fuisse fertur, vt pulchras, atq; preciosas vestes in sacrorum vsum, & ad templorū ornamenta suis ipsius manibus acu sæpissimè pinxerit. Sin ducendi choreas & in numerum saltandi, quantum Regius splendor, & Maiestas patitur, facultatem attendamus, quam nostri temporis Principes non modo nō improbant, ac refugiūt; sed etiam in ea excellere pulchrum putant; q, scilicet, is decorè flectere membra nesciat, qui non sit in ea exercitatus; sic eam probè nouit, vt ea agilius Princeps nulla, neq; opportunius, neq; venustius saltet. Hìc nemo miretur, me tantam Reginam ab huiusmodi re laudare: cum Socrates ille, cuius domus habita est sapientiæ officina, saltationem inter grauiores numerauerit disciplinas: & diuinus Plato summis eam ad cœlū laudibus extulerit. Quòd si quæ sint illius illecebræ, sciant omnes, grauem, & probum hominem ijs nullo modo corrumpi posse: quemadmodum Aristippum, grauissimū Philosophum, cum saltasset, præclarè dixisse litterarū est monumentis consignatum. Verum quid de ingenuis artibus dicam, quæ eximia sunt animi ornamēta, & quibus ipsi Deo euadimus quàm simillimi? Harum, vt pleræq; omnes mulieres ignaræ; ita Regina adeò perita est, vt omnes in sui rapiat admirationē. Adhæc sapientem eum dicimus, cui quod opus est, in mentem venit, & cuius alij vtuntur consilio: huic autem quàm opportunè succurrant omnia, & quàm frequentes homines eā consulant, ipsius responsa tot oracula esse existimantes, incredibile est dictu. Callet eadem optimè diuina, atq; humana, cuncta cōsideratè agit, futura longè prospicit,

ſpicit, nihil eſt tam reconditum atq; abſtruſum in rerum natura, quod non ingenij acie ſtatim aſſequatur, mala, atq; pericula tanta deuitat dexteritate, vt vel corporũ cœleſtium vires elludat. talia qui præſtat, qualis ſit, rogo. viderint ſapientes, quandoquidem ipſi partes, vel effectus enumeramus ſapientiæ. Adde quòd Dei ardere amore, atq; illius cauſſa quæ ſub cœlo ſunt, contemnere, ſummæ eſt ſapientiæ: Quod hæc tanto alijs ſtudioſius agit, quanto ceteris eſt magis religioſa. Hinc mirum nemini videri debet, ſi cum ipſa tam ſapiens ſit, diuitijs ſimul affluat, pulchritudine excellat, regium, diuinumq́; nomen ſibi vendicet. Sunt enim ſapientes ſua natura & diuites, & pulchri, & Reges, & Dij. Quò verè de Regina dici poteſt, regij nominis acceſſione, quo ob nuptias cũ Rege contractas cohoneſtatur, non ad regiam dignitatem, qua antea careret, euectam; ſed expreſſam illam tantùm, atq́; omnibus patefactam eſſe, quæ ipſi prius inerat. Ceterum ſi hanc Germania colit, ſi Italia veneratur, ſi Hiſpaniæ in honore habent, ſi omnes gẽtes, & nationes, ſi totus deniq; terrarum orbis obſeruat; id non tã nobilitati, aut dignitati, quàm ſapientiæ acceptum ferendum eſt, quę magno vbiq; ęſtimatur pretio: quemadmodum Archilochi apud Parios, Homeri apud Chios, Sapphus apud Mitylenæos, Chilonis apud Lacedæmonios, Pythagorę apud Italos, Anaxagorę apud Lãpſacenos, Socratis apud Gręcos, C. Lælij, & Catonis apud Romanos, Moſis apud Hebręos, Mercurij Trimegiſti apud Ægyptios, vnius ſapientiæ nomine exculti, exempla declarant. Hactenus de ſapientia. nunc pauca de morum integritate: de qua nobis vltimo loco dicendum propoſuimus, & ad quam noſtra feſtinat oratio.

Hęc

Hæc, Ticinenſes, quanta ſit, ex ſuperioribus facilè conijci poteſt. Etenim religio, & ſapientia mores externos egregiè formãt: cum illæ virtutum facilè Principes ſint, eaſue intra ſuos contineant quaſi limites atq; cancellos. ex quo rectè ſic ſtatuerim, Reginę mores tanto aliorum moribus prę ſtare, quãto quæ in ipſa ſplendeſcunt proximè a nobis laudatæ virtutes, ceterorum religioni, atq; ſapientiæ antecellunt. Atq; vt id, quod veriſſimum eſt, dicã; nihil ab illius moribus abeſt, quod homines ab illecebris auocare, a vitijs abducere; contra verò ad iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, religionemq; eoſdem componere, & ad omnem conformare honeſtatẽ haud non maximè poſſit. Sunt enim hi veluti quædam ceterorum norma, ad quam ipſi probè directi, virtutibus ſine dubio ſcatebunt omnibus. Quò fit, vt ad Reginam amandam, atq; colendam homines non alliciantur modo; ſed etiam vel inuiti attrahantur. magna eſt quippè integerrimorum, ſuauiſſimorumq́; morum vis ad animos conciliandos. nam quemadmodum Magnes lapis ferrũ ad ſe allicit, & trahit; ita illi mentes aucupantur mortalium, eaſq́; ad ſe conuertunt, atq; rapiunt. Atq; moribus quidem præcellere longè pulchrius ſtatuo, quàm nobilitate, quàm ſciẽtia, quàm eloquentia præſtare. illæ namq; vt ipſi inter alios eminere videamur; hi verò vt vel cœleſtium animorum æquemus præſtantiam, efficiunt. illæ tantùm quum his ornantur, nos ornant; hi verò etiam ſi illis minime decorentur, plurimũ nobis adferunt dignitatis. Atq; vt multa paucis com plectar, omnis vera atq; ſolida ex illis ducitur laus, vtpote quibus ſplendor, decuſq́; omne, ſicut cœlum, quod poetę fabulantur, Atlante, nititur. Quare quis eſt tam hebes

bes,atq; rudis, qui non videat, aut censeat, Reginam singulari prædicatione efferendam esse? cuius profectò mores tam egregij, tam singulares, tamq; eximij sunt, vt non humanam; sed diuinam redoleant naturam. Nam quid per Deum immortalem illi cum aliorum moribus habēt commune? quid tam rectum, tamq; honestum est, quod ipsi non complectantur? quid tam suaue, tamq; iucūdum, quod ipsi non contineant? quid tā præclarum, tam magnificum, tam excelsum, tamq; perfectū, atq; absolutum, cuius speciem ipsi nō referant, aut quod ipsi non comprehendant? num eos fortasse nobilitas inflat? num diuitiæ a recto detorquent? num voluptatum illecebræ corrumpunt? nō sanè, Ticinenses, sed maxima, ac propè incredibilis quædā erga Deum pietas ita eos afficit, adeò puros, adeò sinceros, adeò ab omni labe alienos vindicat, & conseruat; vt non a Natura inditi, vel humana aliqua arte, aut ratione conformati; sed diuinitus omnino tributi fuisse videantur. Quamobrem optimè nobis sperandum esse arbitror, nimirum, fore, vt aurea, sicut poetæ loquuntur, ad nos secula redeant. nam vt deprauati Principum mores homines perdunt; sic contra beant optimi: quos veluti in excelso, & illustri loco positos, suspicimus, atq; ipsi nos ad eorum exemplar effingimus. Quæ cum ita sint, quis non magnopere laudet sapientissimum PHILIPPI II. Hispaniarium Regis, consilium? quis pręstantissimum eius factum non summis laudibus ad Cælum efferat? qui nō ita multo post ex corporis vinculis, tamquā ex carcere, ad superos euolaturus, maximorum vt suorum laborum pręmium consequeretur, totā imperij sui rationem firmauit, & stabiliuit præstantissima Adolescentula, ex cunctis

Princi-

Principibus mulieribus, quibus Orbis terrarum afflueret, delecta, quam filio suo, PHILIPPO III. Principi viro, omni virtutum, ac scientiarum laude cumulatissimo, in matrimonium daret, quam consiliorum, atq; laborum sociam ei adiungeret. Siquidem felices illæ Respublicæ, atq; Regna sunt, quibus qui Reges, vel quę Reginę pręsident, aut sapientes sunt, aut sapientum vtuntur consilio: vt non nisi diuinitus factum sit, vt religiosissimo, atq; sapientissimo Rege suasore, & auctore, Adolescētula sapientia maxime florens, ei arctissimo nuptiarum vinculo iuncta fuerit, qui non solum paterni Imperij; sed etiam virtutum pręstantissimus foret hęres. hac enim ratione toti Italię, atq; Hispanijs, imo toti Reip. Christianę, atq; adeò ipsi vniuerso terrarum Orbi optimè consultum, atq; prospectum est. Sensit hoc, atq; altissima quadam mente præuidit CLEMENS VIII. Pont. Max. Vir cum sapientia, tum morum sanctitate celeberrimus, qui & Regium approbauit consilium, & factum singulari extulit prędicatione, ob idq; tanto perfusus est gaudio; vt Sponsam ipsam e Germania venientem, Pontificio excipere apparatu, & matrimonium solenni ritu celebrare voluerit: scilicet, vt quæ ingentia commoda, atq; maxima ornamenta Romanæ Ecclesiæ allatura esset, ea etiam a Romano Pontifice diuinis augeretur bonis. Viderunt Amplissimi Cardinales, qui eadem de causa in summam lętitiam adducti, tanta pompa ei obuiam processerunt, vt res haberet summam speciem, atq; dignitatē: & dum annulo à Summo Pontifice indueretur, florentissima sui, tamquam integerrimorum, sanctissimorumq; testiū sepserunt corona: inter quos & maximè vidit ALDOBRANDINVS ille,

vir

vir morum ſuauitate, & ſapientię gloria pręſtantiſsimus, qui legatione libentiſsimè accepta, eandem Mediolanum maximo ſplendidiſsimorum, atq; ornatiſsimorum virorum comitatu deduxit. Viderunt Germanię, Italiæq; Principes, atq; ciuitates, quę eam aduenientē honorificè admodū, & ſplendide excipere, nec non magnificentiſsimis muneribus certatim cumulare cōtenderunt. Viderunt Hiſpaniæ, quæ eam religioſiſſimè expectant, diuinos propè vt ei deferant honores. Viderunt deniq; omnes gentes, & nationes, quæ ad ipſum Regem, eius virum, ex remotiſſimis etiam terræ partibus legatos, atq; oratores mittunt gratulatum: vt ſi quoq; nos, Ticinenſes, idem probè intelligentes, inuſitata, atq; inaudita quadam exultemus lætitia; id non temerè a nobis, ſed optimo iure fieri exiſtimandum ſit. Quod vt adhuc melius, ac perfectius cognoſcamus, colligendi ſunt animi noſtri: etiam atq; etiam conſiderandum, propiuſq; intuendum, quam Reginam, verius dicam, quod Numen aſpicere nobis contigerit. Hæc nonne eximia ſua nos ornat nobilitate? potentia fulcit? pulchritudine ad Dei præſtantiam contemplandam attrahit? nonne religione ad diuinum cultum componit? ſapientia ad ſumma, & optima quæq; erudit? morum integritate optimos efficit? tot denique, ac tantis muneribus, quibus exornata, mirandū in modum ſplendeſcit, feliciſſimos facit, atq; beatiſſimos? quibus rebus quid iucundius? quid ſuauius? quid optabilius nobis accidere poteſt? O auſpicatiſſimum Reginæ aduentum! dignum profectò, quem ipſi perpetuò colamus: quem admirentur poſteri: qui vbiq; in vrbe aureis exculptus litteris cernatur: quem nos annalibus, atq; litterarum monu-

mentis

mentis elegántiſsimè commendemus. de cuius præſtantia, deq; ea, qua efferimur, lætitia, illud in extrema oratione verè dixerim, pro dignitate neutram earum verbis exprimi poſſe, idq; non tàm ingenij oratoris tenuitati, aut infantiæ, quàm vtriuſq; magnitudini aſcribendum eſſe. Quamobrem, quod reliquum eſt, Ticinenſes, Deus Opt. Max. obſecrandus, atq; obteſtandus eſt, qui tanti gaudij, tantæ alacritatis, & lætitiæ nobis auctor fuit, vt & Reginam Principem noſtram, longo, ac perrenni temporis ſpatio noſtrę felicitati, bonorumq́; omniū ſaluti incolumem conſeruet, quò ipſa in altiſsimo gradu collocata, & àd ſapientiſsimi rerum omnium moderatoris Dei imitationē iura diſtribuente, diuturna pace, atq; otio perfui poſſimus: & eidem iter facienti, cœli ſerenitatem, ac maris tranquillitatem elargiatur: & vbi in Hiſpanias ad virum ſalua, atq; incolumis peruenerit, ex ſacroſancto, ac feliciſſimo matrimonio eam illi prolem concedat, quæ auitam, paternam, atq; ipſius præſtantiſsimam gloriam referat. Quod vt ipſi omnibus votis expetimus, noſtris cum ſtudijs, tum precibus poſcimus, & flagitamus, ita Auguſtiſsimæ Reginæ bonum, fauſtum, felix, fortunatumq; ſit.